



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Magistro Andreæ scriptori nostro Canonico Lemovicensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

MAGISTRO ANDREÆ
Scriptori nostro Canonico Lemovicensi.

Epist. 102.
Super eodum.

Proposuit dudum dilectus filius magister P. Clericus venerabilis fratris nostri Episcopi Tusculanen. &c. ut in prima usque ordinaret, pro te ac eodem magistro preces specialiter porrigentes &c. in eundem ferè modum ut in alia usque intelleximus evidenter. Cùm ergo dilectus filius G. Lemovicensis Capituli procurator propter hoc nuper apud sedem apostolicam constitutus contra te nihil prorsus objecerit, nos quod per dictum Legatum de te factum esse dinoscitur, de fratrum nostrorum consilio duximus per diffinitivam sententiam approbandum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani x. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

Scriptum est super hoc majori Archidiacono, Cantori, magistro Mansredo Canonico Bituricensi. Proposuit olim dilectus filius magister P. Clericus &c. ut in alia in eundem ferè modum usque evidenter. Cùm ergo dilectus filius G. Lemovicensis Capituli procurator propter hoc nuper ad sedem apostolicam constitutus contra prædictum magistrum Andream nihil prorsus objecerit, nos &c. ut in alia usque approbandum. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus quod à nobis &c. ut in alia usque observari, eidem magistro Andree stallum in choro &c. ut in alia usque compescendo. Quòd si non omnes iis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum ut in prima præcedenti per totum.

ABBATI ET CONVENTUI
sancti Stephani Divionensis
Lingonensis diocesis.

Epist. 103.
Abrevis Her-
veum Canoni-
cum Divionen-
sem.

Cvm Herveus & R. Canonici Ecclesie vestræ pro se ac dilectus filius magister Hugo procurator vester pro vobis in nostra essent præsentia constituti, nos intellecto inquisitionis processu quæ contra ipsum Herveum ad venerabilem fratrem nostrum Lingonensem Episcopum & dilectum filium Virziliacensem Abbatem emanarat à nobis, ab ipso Herveo, pro eo quòd erat vinculo excommunicationis affectus, quòd nostris mandatis pareret re-

cipi fecimus corporaliter juramentum, & eidem injunximus viva voce ut ad monasterium sanctæ Genovefæ Parisiensis accederet, quatinus in eo dignos poenitentiae fructus perageret, & etiam regularia, quæ nondum plenè novit, disceret instituta, emendando in melius vitam suam. Quòd licet idem primitus acceptarit, spiritu tamen postmodum suo ductus, à nobis illicitiatus recessit ad præfatum sanctæ Genovefæ monasterium, à nobis super receptione sua litteris non obtentis. Nos igitur quieti monasterij vestri paterna volentes sollicitudine præcavere, ipsum Herveum à præfato monasterio, prioratibus, & ejus obedientis removentes, vos & monasterium ipsum, obedientias ac prioratus pertinentes ad illud, ab impetitione dicti R. tam super receptione sua quàm expensis & aliis super quibus vos hæcenus fatigavit decernimus absolutos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Laterani vii. Kal. Februarij, anno tertio decimo.

ABBATI ET CONVENTUI
sancti Berini.

Illis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effecta prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis præsentium indulgemus ne vel Episcopo aut Archidiacono seu Capitulo Morinensi pro consequenda benedictione Abbatis monasterij vestri, qui benedicendus pro tempore fuerit, capam sericam, palefridum, paltum, & his similia, seu aliam consuetudinem persolvatis, districtius inhibentes ne ipsi à vobis ea exigere vel extorquere præsumant, sed munus benedictionis Abbati ab eodem Episcopo gratis & sine pravitate qualibet impendatur. Alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem gratiam & communionem apostolicæ sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate ipsi electo munus benedictionis impendat. Ita tamen quòd per hoc nullum Morinensi Ecclesie in posterum præjudicium generetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & inhi-

Epist. 104.
Nihil esse dan-
dum pro bene-
dictione Ab-
batum.